

De cicuta commentarius / [Casimiro Gómez Ortega].

Contributors

Gómez Ortega, Casimiro, 1740-1818.

Publication/Creation

Madrid : J. Ibarra, 1763.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/y4tgxgst>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



25016/3



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30505835>

CASUALTY REPORT

Form 100-10

This report is to be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case. It should be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case.

COMMITTEE

This report is to be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case. It should be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case.

REPORT

Form 100-10

Form 100-10

This report is to be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case. It should be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case.

This report is to be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case. It should be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case.

This report is to be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case. It should be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case.

This report is to be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case. It should be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case.

This report is to be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case. It should be filled out by the person who has knowledge of the facts of the case. It should be filled out as soon as possible after the occurrence of the case.



CASIMIRI GOMEZII ORTEGÆ,

PHARMACOPŒI MATRIT. PHILOSOPH. ET MEDIC.
DOCT. BONONIENS. REG. GADITAN. CHIRURG.
COLLEG. ALUMNI, ACADEM. MEDIC. MATRI-
TENS. ET SOCIETAT. BOTAN. FLORENT. SOCII

DE CICUTA COMMENTARIUS.

*Medicamenta à Venenis non Natura,
Sed Dosis distinguit. LINN. Mat. Med.*



SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI : Typis JOACHIMI IBARRÆ.
Prostat apud Angelum Corradum.

MDCCLXIII.

CASIMIRI GOMEZII
ORTEGAE

PHARMACOPOL MATRIT. PHILOSOPH. ET MEDIC.
DOCT. BONONIENS. REG. CADITAN. CHIRURG.
COLLEC. ALUMNI, ACADEM. MEDIC. MATRI-
TENS. ET SOCIETAT. BOTAN. FLORENT. SOCI

DE CICUTA
COMMENTARIUS

GOMEZ ORTEGA, C.

Medicorum à Venetis non Veneris
sed Docti distinguunt. Jan. Mac. Med.

308936



SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI: Typis JOACHIMI IBAÑEZ.
Propter opus Angustinus Carandus.

MDCCLXIII.

PETRO CAMPOMANESIO,
CELEBERRIMO JURIS-CONSULTO,
CONSILIARIO REGIO,
ET IN SUPREMO CASTELLÆ SENATU
REGIO FISCO PATRONO
CASIMIRUS GOMEZIUS ORTEGA

S. D.



ESI vereor interdum, Campo-
manesi Clar. , ne plures sint,
qui hoc genus scripturæ, quippe
quæ de re medica, leve admo-
dum, & Personæ, dignitatique tuæ parum,

aut omnino non convenire existimabunt ; non dubito tamen fore plerosque , qui cùm tuum ingenium , & opusculi naturam penitus perpexerint , neque argumentum auctoritati tuæ gravius , & voluntati acceptius inveniri , neque commentariolo ipsi Patronum te potiore quæri potuisse arbitrabuntur. Et ad patrocini-um sane quod attinet , cujus ego magis quærerem tutamen , quàm amplissimi Senatoris , quo , cùm & auctoritate , & doctrina ipse plurimum polleat , Patrono potentissimo simul , & aptissimo æstimatore mihi uti liceat ? Commentarius autem , quoniam is gravissimorum morborum , qui pene insana- biles hætenus habiti sunt , curationes continet , adeoque ad humani generis incolumi- tatem , felicitatemque totus spectat , nonne eum Virum præsertim deceat , qui tum in- dole , tum etiam munere ad publicam utili- tatem curas omnes , cogitationesque referre consuevit?

At vero si operis argumentum ab offi- cio , & naturâ tuâ non abhorret , ejus te- nuitas dignitatis tuæ amplitudinem planè
non

non dedecet. Qui enim hominum merita non ætate, sed studiis, & doctrinâ metitur: certè libri præstantiam non ex foliorum numero, sed ex magnitudine utilitatum, quæ abunde in genus humanum emanant, æstimabit. Accedit quod hujusmodi opuscula, quæ quò facilius comparantur, eò avidius, & sæpius perleguntur, ut plurimum Adolescentium animos incendunt; quo fit, ut Botanices studium sensim per universam Hispaniam invehatur, & temporis successu, mirifico hujus scientiæ incremento, propagetur. Quo sane studio floruit olim gens nostra, penes quam iis temporibus, quibus fœda barbaries cæteras Nationes occupaverat, unâ cum Medicinæ, agrorum culturæ, aliarumque optimarum disciplinarum cognitione, quæ ad tuendam hominum vitam pertinent, hujus artis scientia perenniter, & non modica celebritate permansit. At postquam Litteræ per Italos restitutæ sunt, res herbaria in plerisque quidem Europæ regionibus restaurata vixit; nusquam tamen alibi aut studiosiùs, aut luculentiùs, quàm in Hispania

nos-

nostrâ fuit illustrata : quod & Francisci Hernandez , & Andreae Lacunæ , & Christophori , Josephique Acoftæ , & Nicolai Monardes , aliorumque multorum immortalia opera satis superque declarant. Ad hoc proculdubio agrorum ubertas , solique ipsius foecunda natura indigenarum mentes ad herbas explorandas invitans , quamplurimum contulit. Neque enim affirmare ausim , quænam sit in Hispanicis regionibus major uberiorque , acrium ne ingeniorum copia , an metallorum , vegetabilium , cæterarumque naturalium rerum varietas , & abundantia.

Quæ cum ita sint , nonne meritò conari debemus , ut hæc utilissima Ars , quæ postremis his sæculis , non exiguo Reipublicæ detrimento , neglecta jacuit , quasi è pulvere rursus ad lucem eruatur , & omni animi alacritate , nervorumque contentione diligentius excolatur , & crescat ? Calcar , stimulosque singularis Optimorum Principum liberalitas admoveere videtur : Hi enim nostrâ ætate , Regiâ plane munificentia , hujusmodi studia alunt , foventque. Hanc manifestè
ref-

testantur tum iter à Petro Lœfflingio , & nonnullis Hispanis Adolescentibus in herbis cognoscendis , delineandisque apprime peritis, Ferdinandi Regis auspiciis , & sumptibus in Cumanam , & Orinocum usque susceptum: tum etiam Hortus Regius Botanicus , alter Matriti , alter Gadibus paucis abhinc annis confitus , & honestissima præmia Botanices Professoribus constituta. Nec prætermittendum censeo Josephi Queri opus præstantissimum nuper editum , *Flora Hispanica* inscriptum , Regique Carolo probatissimum. Iisdem denique rationibus moti rerum naturalium scientiam maximè assecuti sunt R. adm. P. Martinus Sarmientus , Joannes Minuartius , Michael Barnades M. D. aliique quamplures , quorum merita dilaudare neque est hujus loci , neque necesse, quippe quæ satis superque celebrata faciunt, ut de Botanices in Hispania incremento melius imposterum ominari liceat.

Hæc itaque animo reputans hoc primum mei erga Botanicen studii specimen exhibere , atque has veluti vigiliarum mearum primi-

mitias, quæ alicujus publicæ utilitatis fortasse erunt, Tibi ad commune bonum nato dicandas statui. Quas si eâ, quâ soles, comitate benigne exceperis, ac tuo Nomini inscriptas in lucem prodeuntes cæterorum quoque Senatorum gravissimæ auctoritati commendaveris; nullus dubito, quin aliquod olim ex iis morborum levamentum ægris mortalibus sit futurum: atque ita me imposterum, aliosque fortasse melioris spei Adolescentes ad labores pro publicis commodis, quibus Tu semper consuluisti, suscipiendos, magis magisque allicies & excitabis. VALE.



PRÆFATIO.



UUM ex Italia in Hispaniam rediissem, Matritum adveniens, ad Regiam Medicinæ Academiam statim me contuli, ut ei pro summa humanitate, qua me in suum amplissimum ordinem cooptaverat, gratias, quas possem maximas, agerem. Ferebantur tunc fortè in Academia varii de Cicutæ sermones, quos Antonii Storckii Viri Clarissimi & de re Medica optime meriti liber in id argumentum paulo ante editus excitaverat. Dissidebant, ut in novis rebus plerumque fit, inter se Academici: neque satis inter eos de Cicutæ usu, & viribus constabat. Nonnulli ejus *extractum* summis laudibus in Cœlum usque extollebant: alii nullam morborum sanationem ejus ope obtentam querebantur: erant denique qui virulentiam vulgò herbæ adscriptam reformidantes, ne licere quidem ægrorum periculo Cicutæ vires experiri autumabant. Ad hæc de ipsa Cicutæ specie à Storckio adhibitæ dubitabatur: num scilicet Storckiana eadem prorsus esset ac ea, quæ hîc ad Matritum nascitur; ac demum tametsi eadem prorsus esset, num pro Cœli, solique diversitate aliqua etiam in viribus mutatio posset obrepere.

Ego vero in tanta opinionum varietate, primùm

P R Æ F A T I O.

modo his , modo illis annuere , deinde ab utrisque dissentire , ac interim animi pendens obmutescere. Domum tamen rediens animo variis cogitationibus implexo , rem maturius perpendere constituo. Ac primo quidem ad Cicutæ in agro Matritensi nascentis speciem diligentius , & accuratius observandam me applico. Varias curationes à plerisque Medicis , & Chirurgis usu Cicutæ gravioribus morbis adhibitas penitus expendo : earumque diversis eventibus inter se comparatis : Amicorum itidem experimentis hinc inde collectis non parum adjutus , simul & excitatus , manum tandem ad aliquid de Cicuta commentandum audacter admovi : eo consilio , ut elucubrationes istæ cum Academicis communicatæ , si eorum dubiis satisfacere minus valerent , at saltem meum erga Academiam gratum animum , & beneficii memorem testarentur. Itaque cum hanc (qualis qualis ea denique sit) descriptionem coram Academicis recitassẽ , præter spem accidit , ut eam non modo Academici probaverint , verum etiam typis evulgandam censuerint. Tum Amici publica utilitate proposita , necnon amorem erga Patriam id postulare monentes , me quamvis reluctantem , id ut facerem , compulerunt. Ego profecto opusculi tenuitatem tam agnoscens , quàm qui maximè , omninò renuere debuissẽ ; sed Amicorum voluntati obsequi satius duxi , eorumque judicio acquiescere consultius existimavi. Quod si quis adhuc me in hac re nimiae levitatis arguere velit , non solum non molestè , sed etiam æquo animo feram : modo tantum culpæ , ut par est , mihi detrahat , quantum Amicorum benevolentia , & auctoritati tribuendum arbitrabitur.

DE



DE CICUTA COMMENTARII

CAPUT PRIMUM.



Icutæ celebritatem, seu potius infamiam auxerunt olim Athenienses, ejus succum scelestis hominibus in publicis judiciis ad necem propinare soliti: quod quidem supplicii genere Socratem quoque sapientissimum, & justissimum Philosophum affectum fuisse accepimus. (a) Ubi obiter animadvertere liceat, etsi non sine magno animi dolore, & admiratione, ne Athenis quidem Philosophorum contemptores, & hostes infensissimos quondam defuisse: Athenis, inquam, ea in urbe, quæ cæteris omnibus & ingeniorum cultu, & doctrinæ elegantiam præstabat. Verum poenituit tandem Athenienses Socratici parricidii, quod & mœrore publico, & ærea Socratis imagine in urbis celeberrimo loco collocatâ testati sunt. Utinam & nos aliquando resipiscentes, philosophiam ex animo colere, & qua par est, observantia prosequi valeamus.

B 2

(a) καὶ δεθεῖς μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας ἐπὶ τὸ κῶνειον.
Diog. Laer. in Vit. Socrat.

leamus. Sed , ut eo revertar , unde paulò longius, quàm fas erat , prudens sciensque discessi , Cicuta ab eo tempore , quo Socrati mortem intulisse traditur, adeo magnam invidiam sibi conflavit ; ut virulentiae continenter accusatâ , ejus nomen omnium sæculorum memoriâ execratum posteritati fuerit transmissum. At injuriâ , si quid judico : nam venenum ab illo philosopho epotum num ex mero hujus herbæ succo fuerit confectum , an potius aliorum venenorum admixtione ejus vires adauctæ fuerint , non satis constat ; immo Plato ipse de morte Socratis differens id postremum innuere videtur : (b) neque enim unquam Cicutam, sed φάρμακον ei propinatum fuisse , sæpius apertè testatur. Cæterum non desunt Auctores cùm veteres, tum recentiores , qui Cicutâ etiam interne adhibita in morborum curatione feliciter usi sunt. Hippocrates Medicinæ Parens , & Socrati ipsi coævus mulieri utero ægrotanti *Cicutæ quantum tribus digitis apprehendi potest , in aqua propinare* non dubitat. (c) Galenus nonnullas medicamentorum compositiones recenset , quas Cicutæ semen , radix , & succus ingreditur ; (d) immo de quadam Anu Atheniensi commemorat , eam *ab exigua Cicutæ portione auspicatam ad insignem progressam fuisse copiam , nullo detrimento.* (e) Quæ quidem Historia adamussim congruit cum ea , quam Clar. Vir

Pe-

(b) Plato in Phædon.

(c) Κώνειον ὅσον τεσσάρων δακτύλοισιν ἐν ὕδατι δίδω πίνειν. Hippocr. de Nat. muliebr. Ed. Lind. t. 2. p. 379. par. 71.

(d) Galen. de Compos. medicam. lib. 7. cap. 2. 3. &c.

(e) Galen. de Simpl. med. facult. lib. 3. cap. 18.

Petrus Virgilius, Chirurgus Regius peritissimus, & ad Chirurgiæ in Hispania nostra incrementum natus, mihi narravit de Filia sua, quæ Cicutæ extracto ita assuefacta est sensim, ut illud ad drachmæ unius pondus per plures dies, immo vero menses quotidie assumpserit; quo extracto tam longe abest, ut ullum incommodum experta sit, quin potius appetitu, qui dejectus erat, mirum in modum excitato melius in dies habere cœperit. Plinius vero Cicutæ caulem viridem impune edi à plerisque affirmat. (f) Hieronymus Mercurialis in furore uterino usum Cicutæ internum commendat. (g) Paulus Renealmus Blesensis gravissimas hepatis obstructions, exhibito vino, in quo fuerat infusa radix Cicutæ, non semel resolvit, ut ipse testatur in suis Observationibus. (h) Postremis tandem hisce temporibus Joannes Raius Boulum quemdam commemorat, qui pulverem radicis Cicutæ ad grana xx. in febribus malignis, vel quartana ante paroxysmum exhibebat, omnibus, quæ unquam expertus fuerat, diaphoreticis præstantius. (i)

Hæc gravissima doctissimorum hominum de Cicutæ innocentia judicia vel ignorata, vel neglecta virulentia Cicutæ metum ex animis excutere omnino non potuerunt. Herba malè audiebat apud omnes: eam pejus angue oderat populus: ideo Medici, ne aleam jacere, & ægros periculo committere viderentur, ab
ejus

(f) Plin. Nat. Hist. lib. 25. cap. 13.

(g) Mercur. de Morb. mulier. libr. 4. cap. 10.

(h) Renealm. observ. 3. & 4.

(i) Raj. Hist. Plant. t. 1. p. 451.

ejus usu, interno præsertim, abstinebant. Adeo magna est præconceptæ opinionis vis. Nescio tandem, quo bono fato Antonius Storckius Reginae Ungariæ Archiater Clar. in animum induxit, quid revera mali timeri, quid boni è Cicuta expectari posset, incredibili industria experiri, & nunquam satis laudato candore, opusculo in eam rem evulgato, cum cæteris communicare. Sed antequam Storckii experimentorum eventus exponamus: operæpretium erit, Cicutæ de qua agitur, genus, & speciem definire.

CAPUT SECUNDUM.

DUÆ sunt apud Botánicos hujus ætatis herbarum cognoscendarum usitatiores methodi: Josephi scilicet Tournefortii systema ex petalorum numero, & figura desumptum: & Caroli Linnæi methodus sexualis: quorum primum tironibus majori sua facilitate, & simplicitate, alterum in arte provectis accuratiori artificio sese commendat: utrumque autem non modo semper utile, sed interdum etiam necessarium. Cicutæ itaque generis ab utroque Auctore propositam definitionem describemus à Tournefortiana inchoantes.

Genus Cicutæ. TOURN. I. R. H. p. 306.

„Cicuta est plantæ genus flore A rosaceo, & umbel-
 „lato, plurimis scilicet petalis B, C, constante, cordi-
 „formibus, inæqualibus, in orbem positis, & calici D
 „insidentibus. Is autem abit in fructum E ferè glo-
 „bosum, ex duobus seminibus F compositum exiguis,
 „hinc

„hinc gibbis & striatis, inde vero planis. *Vid. fig.*

Conium LINN. Gen. 299.

Cal. *Umbella universalis* (1) radiis pluribus patentibus.
Partialis (2) confimilis.

Involucrum universale (3) polyphyllum, brevissimum:
Partiale (4) confimile.

Perianthium proprium vix notabile.
Cor. *universalis* uniformis.

Propria (5) Petalis quinque, inflexo-cordatis, inæqualibus. (6)

Stam. *Filamenta* (7) quinque, simplicia. *Antherae* subrotundæ.

Pist. *Germen* (8) infra receptaculum proprium. *Styli* duo, reflexi. *Stigmata* obtusa.

Per. nullum. *Fructus* (9) subrotundus, striatus, bipartibilis.

Sem. duo, (10) hinc convexa, fere hemisphærica, striata, inde plana. *Vid. fig.*

Linnaeus *Conium* hoc genus inscripsit: quo nomine veteres Græci scriptores *Cicutam* intellexerunt: *Cicutæ* vero nomen latinum alii generi reservavit. Quod utique fecit Linnaeus non quadam reprehendenda libidine, ut putant aliqui, correptus omnia miscendi, & subvertendi, sed gravissimis, ut ego arbitror, & ipse monet, causis inductus. Enimvero duo erant constituenda *Cicutarum* genera: *Cicuta* scilicet terrestris, & *Cicuta* aquatica (cujus nulla injecta est mentio in Instit. R. H.) non modo natali loco, plantarumque habitu & structurâ, sed etiam viribus valde inter se di-

diversæ. Ex his *Cicuta aquatica*, venenis omnibus vegetabilibus, quæ hætenus innotuerunt, tetrior ferebatur (& hæc fortasse erat, quâ capite damnati olim plectebantur): *Cicutæ terrestri*, si ulla, longe minor virulentia inerat, ut Linnæus jam inde suspicabatur, & experimenta Storckiana postea confirmarunt. Jure igitur, & optimo consilio Linnæus *Cicutæ terrestri* Conii nomen tribuit: & contra ad *Cicutam aquaticam* venatissimam plantam significandam odiosum *Cicutæ* nomen potissimum usurpavit.

Jam vero speciem *Cicutæ* nostræ assignemus, varia Auctorum nomina, plantæque descriptionem, & notas illas, quibus ab affinibus discerni possit, subnectentes.

Cicuta major I. R. H. 306. Morison. tom. 3. p. 290. sect. 12. Tab. 7. fig. 1. cujus descriptionem affert Storckius.

Cicuta Dod. Pempt. 461. Joan. Bauh. 3. part. 2. p. 175. Rivin. Pentap. Tab. 75. Raj. Hist. tom. 1. p. 451.

Cicutaria major vulgaris Clus. Hist. 2. p. 200.

Conium seminibus striatis. Linn. Sp. Plant. 243.

Κόνιον (*Conium*) Hippocr. Theophr. Diosc. & Galeni.

Radice (*Vid. fig. lit. R.*) nititur napiformi, tereti, perpendiculariter descendente, versus caulem sensim crassiore, interius alba & fungosa, exterius vero flavescente: variis fibris lateralibus ornatâ: saporis primo subdulcis, postea non parum acris. Caulem fert rectum, procerum, per intervalla nodosum, ad octo pedes nonnumquam adurgentem, glabrum, leviter striatum, seu potius lineis pluribus longitudinalibus subobscuris distinctum, fistulosum: dilute virentem: variis maculis

san-

fanguinei coloris respersum prope radicem quidem amplioribus & insignioribus : in ramulos partitum , ex alis foliorum singulis singulos emergentes. Caulem convestiunt folia sparsa , ex nodis prodeuntia : in plurimas alas Petrosclini instar divisa : petiolis appensa , membranaceis basi , & amplexicaulibus , dein teretibus , sed qua caulem respiciunt , sulcatis : superius atrovirentia , inferius dilute-viridia : foliolis pinnatifidis. Verum hæc omnia quæcumque spectant ad structuram foliorum , melius ex apposita icone patebunt , quæ ramulum repræsentat ex planta quatuor cubitorum altitudinem excedente decerptum , cuius imaginem ad vivum expressam ab elegantissimo Artifice æri incidi curavimus. *Vid. fig.* Ramuli umbellas sustinent florum alborum , qui postea abeunt in fructum ex duobus seminibus coalescentem striatis , granulatisque , & Anisi seminum magnitudine , & figurâ non admodum dissimilibus : aliquanto tamen candidioribus.

Biennis est planta : Aprili , & Majo florens : per Hispaniam vulgaris. In agro Matritensi passim abundat : loca præsertim amat umbrosa , & pingua : copioseque eam provenientem legimus in saltu *DE LUZON* : in hortis oleaceis *DE LUCHES* , trans colles D. Isidori sitis : in Villa Regia , vulgò *CASA DEL CAMPO* : in agris prope fontem dictum *DEL BERRO* : in hortis domûs Regiæ *DEL BUEN-RETIRO* : atque in oliveto Hieronymitarum , ubi hominis altitudinem quandoque superat.

Tota planta odorem spirat modo graviorem , modo minus gravem ; idem dicas de foliorum sapore acri , & coloris viriditate : quæ omnia pro plantæ ætate , & soli naturâ plurimum variant. Enimvero id in universum ob-

fervavimus : hujusmodi plantas quò juniores, humilio-
resque, & frigidiori in loco nascentes, eò etiam foetidio-
res esse, & acriores, foliaque habere tenuius divisa. At-
que hæc quidem foliorum varietas occasionem for-
tasse præbuit C. Bauhino, & Clar. Tournefortio, ut
unam eandemque Cicutæ speciem in duas veluti dis-
pescerent : (a) *Cicutam* scilicet *majorem*, & *Cicutam*
majorem foliis tenuioribus. Quorum exemplum sequi
neque Boerhaavius consultum duxit, neque Lin-
næus, neque ii deinceps, qui de re herbaria scrip-
serunt. Horum Clarissimorum Virorum auctoritate,
nostrâque etiam observatione nixi contendimus, non
tanti esse hanc foliorum varietatem, ut duas Cicutæ
species statuere liceat : præsertim cùm in pluribus plan-
tis ex eodem semine profectis, immo etiam in una
eademque planta hæc foliorum diversitas quandoque
reperiatur. Neque tamen dissimulare volumus, quem-
admodum unius regionis pyra alterius regionis pyris,
licet eadem specie inter se sint, odoris & saporis sua-
vitate antecellere; ita etiam Cicutam, quæ in monti-
bus nascitur, utpote foetidior, & efficacior, ei,
quæ in planitie provenit, in usum medicum fortasse
esse præferendam. Quòd si Cicutæ montana haud ita
facile comparari queat, non ideo despondeant ani-
mum nostrates Pharmacopolæ : cùm extracti è Cicutæ
Matritensi non adeo foetidâ confecti efficacitatis in-
signia habeant testimonia postremo capite, ubi de
morborum historiis, enarranda.

Cæterum Cicutæ, quæ tertio, & ultimo loco re-
cen-

(a) C. B. Pin. 160. Tourn. I. R. H. 306.

cenfetur in Inft. R. H. nimirum *Cicuta minor*, *Petrofelino fimilis*. Tourn. I. R. H. 306. non modo specie revera differt à *Cicuta* noſtra, ſed etiam genere, ſi Linnæo credimus, qui eam cum Hallero *Æthusa* vocat. (b) Habet ſiquidem caulem ſulcatum, bicubitalem, glauco quodam polline obductum, non tamen, ut *Cicuta Storckiana*, maculoſum: Calix, ſeu involucrum partiale (uniſverſali enim deſtituitur) foliolis tribus, vel quinque conſtat, longiſſimis, linearibus, pendulis: ſemina quatuor ſulcis profunde inſcripta, atque in duas latas facies diviſa, non granulata: tota denique herba fere inſipida. Quas notas quicumque conferre voluerit cum characteribus *Cicutæ legitimæ* ſuperius traditis, magnum diſcrimen inter eas intercedere animadvertet.

Jam vero *Cicuta aquatica* (Gefn. & Bauh. Hiſt. Hiſt. 3. p. 175. *Sium erucæ folio*. Boerh. Ind. Alt. 1. p. 55. *Cicuta umbellis folio oppoſitis, petiolis marginatis obtuſis*. Linn. Sp. 255.) licet idem, ac planta noſtra, nomen fortita, ſit, non ideo tamen cum ea viribus, naturâ, aut genere Botanico convenit: uti paulò antea innuimus. Etenim *Cicuta aquatica*, bicubitalis planta, & perennis radice eſt pollicari, tenuiſſimis fibris capillatâ, prolixam barbam referentibus, foliaque obtinet pinnata, quorum quælibet foliolis conſtat plerumque ſeptem, duabus unciiis longioribus, per ambitum profunde inciſis, atque in extremitate acuminatis. Umbellæ involucro uniſverſali carent. Piſtillo-
rum ſtyli, & ſtaminum filamenta corollâ longiora
C 2 ſunt.

(b) Linn. Gen. 317. Hall. Helv. 433.

sunt. Crescit præterea Cicutæ aquatica propter ripas spongiosas, graminosasque lacuum regionum septentrionalium: in Hispania nostra rarior. Josephus Quærius in Horto Regio Botanices Professor Primarius celebratissimus, atque in indagandis plantis, præcipue Hispanicis, diligentiam nemini comparandus, non longe à Portu (ita enim appellant) Guadarramæ eam observavit, ut ipse mihi testatus est.

His indiciis Cicutæ aquatica, virulentissima planta, à Cicutæ Storckii innoxia, seu potius proficua non modo discerni potest, sed etiam debet. Enimvero si id, quod sentio, libere licet exponere, vehementer suspicor, plerasque hominum, & belluarum strages, quæ Cicutæ terrestri vulgo adscribuntur, aquaticæ potius tribuendas fore. Cujus vim deleteriam si quis vult intimius nosse, consulat aureum librum, quem integrum de Cicutæ aquatica conscripsit Joan. Jacob. Wepferus. Ed. Lug. Bat. 1733.

Nostrates communi vocabulo *Cañaeja* plures, easque inter se diversas plantarum species comprehendunt, magno sane erroris periculo. Et primum *Cañaeja* vocant Cicutam Storckianam, seu ut alii malunt *Cañaleja*, *Cañahueca*, & *Cañafleja*. Eodem præterea nomine appellant Ferulam foeminam Plinii. Inst. R. H. 321. Quod ne confusionem pareret, optimè animadvertit Andreas Lacuna noster in Comment. Dioscor. lib. 4. cap. 80. p. 427. Clusius quoque tradit Hist. 2. p. CXCII. hanc vocem *Cañaeja* nunnulis Thapsiæ speciebus, atque omnibus ferme ferulaceis (quarum summa varietas per universam Hispaniam) tribui. Quæ tamen omnes facile à Cicutæ distinguuntur seminum magnitudine, & figurâ longè diversâ, florum-

rumque colore plerumque luteo.

CAPUT TERTIUM.

QUoniam quæcumque ad plantæ cognitionem pertinent, copiosè, & satis, ut arbitror, luculenter tradidimus; reliquum est, ut ad ejus usum, & vires explicandas progrediamur. Scire itaque oportet Cicutæ usum externum in Medicina semper fuisse post hominum memoriam frequentissimum. Dioscorides (*a*), quem Veteres sequuntur, Cicutam miscet collyriis, quæ levandi doloris gratia temperantur: lac etiam puerperarum mammis appositam extinguere, & in virginitate mammas coercere affirmât: atque in universum vires ei resolvendi, & demulcendi tribuere videtur. Consentanea cum Veteribus tradunt Recentiores: inter quos, qui omnium instar est, Geoffroyus (*b*) ad nimium lactis proventum mammis puerperarum, quæ lactare nequeunt, vel sub metu coagulationis lactis coerciti, & indurationis mammarum plantam hanc contusam, & in lacte, vel in aqua, & aceto decoctam, sub forma cataplasmatidis applicatam commendat. Proponit quoque Cicutæ folia in lacte cocta ad dolores podagricos, & hæmorrhoidales mitigandos. Eadem folia, quocumque modo applicentur, itemque emplastrum de Cicuta in emolliendis tumoribus tam lienis, & hepatis, quàm etiam partium externarum duris nempe scirrhis, strumosis, grumosis, efficacissimâ remedia esse contendit.

At-

(*a*) Dioscorid. lib. 4. cap. 74.

(*b*) Geoffroy. Mat. Med. tom. 3. p. 326.

Atque hac de viribus, & usu Cicutæ externo attigisse sufficiat. Quod si quis ex me quærat modum peculiarem, quo effectus suos edit Cicutæ in corpore humano, & ejus minimarum particularum figuram, & motum; fatebor equidem me ea libenter nescire, quæ vix, ut ego arbitror, sciri possunt: neque me eum esse, qui arcana naturæ, & rerum principia detegere, aut sperandum, aut in medicina facienda necessarium ducam.

Cæterum Geoffroyus ipse supra memoratus variis observationibus, & experimentis ad Cicutæ vires explorandas institutis, analysi itidem Chymicâ propolitâ, totius plantæ saporem falsum esse tradit: odorem narcoticum foetidum: succum ejus chartam cœruleam rubro colore perparum inficere; undè haud ineptè conjicit, Cicutam sale quodam sali ammoniacali (quem potenter resolvere constat) simili donari cum multo oleo, & terra permixto. Idem etiam tradit Tournefortius, & nos ipsi de Cicutâ nostrâ confirmare possumus, cujus plures libras analysi subjecimus. Quapropter si quis Cicutam his principiis constantem in corpus humanum resolvendo, & discutiendo agere contendat; verosimilissimam ille meo judicio sententiam sequetur, quam & Medicorum tum Veterum, tum Recentiorum praxis statuere, & virium plantæ exploratio sensuum externorum ope instituta, & demum analysis ipsa Chymica confirmare videtur.

Jam verò quoniam ad eum locum pervenimus, ubi fortè Chymicæ injecta est mentio, & non desunt in Hispania, qui de recto Chymicæ in Medicina usu dubitant, & Juventutem ab utilissimæ hujus artis studio deterren-

dam

dam contendunt ; non abs re erit , quid de tota ea disputatione sentiam , breviter exponere.

Chymia itaque si suis finibus contineatur , si Medicinæ administra sit , non domina ; nulla propemodum est Medicinæ pars , in qua ejus certa , & insignis utilitas clarè , ac dilucidè non appareat. Quid enim ad partium tam solidarum , quàm fluidarum compositionem explorandam aptius excogitari unquam potest? Quid ad facultates rerum non naturalium , quæ valetudini aut obfunt , aut profunt , distinguendas , & explicandas magis idoneum ? Quid ad cauſſas , effectusque , qui in liquidorum aut humorum mixtione cernuntur , perſcrutandos ? Quid ad eorundem varias mutationes , undè morbi plerumque fiunt , dignoscendas accommodatius ? At in sudorum , facum , urinarum , aliorumque fontium , ex quibus ſigna petuntur , naturâ indagandâ quid ejus regulis , normâque utilius , aut minus periculolum ? Quid cenſendum de præceptis , & adjumentis , quibus eadem tot tantorumque tentaminum generibus partem illam , quæ in efficacioribus iis quidem , jucundioribusque medicamentis parandis verſatur , auxit , & illustravit ? Nemo proſecto ſanæ mentis vel parum in his ſtudiis verſatus , Chemiam non ſolùm ad Phyſiologiam , ad Hygienem , ad Pathologiam , ad Semeioticam , ad Therapeutice , verum etiam ad univerſam ſalutarem Artem promovendam , & locupletandam quamplurima commoda , & incrementa ſuis experimentis attuliſſe inficiabitur. Nonne qui Chemiam à Medicina exulare vult , eodem jure & Botanicen , & Phyſicam , & Mechanicam , & ſubtiliorem Anatomicen , aliasque optimas diſciplinās exulare velit ? Quarum tamen præſidiis ſi Medicus

cus destituatur, quid inter Medicum huiusmodi, & circumforaneum Pharmacopolam intersit, profecto non video.

At Chemia (inquier) aliquando extra fines sibi præscriptos vagatur, falsis interdum analogiis ducitur, igni nimium confidit, omnia obscuris vocabulis involvit, prima rerum principia detegere contendit, aliaque conatur huiusmodi, quibus Medicina nedum illustratur, sed etiam corrumpitur. Sed quorsum hæc? Ego quidem pravum Chemiæ usum neque probo, neque dissimulo: rectum usum Medicinam facientibus opportunum, seu potius necessarium judico. Ita igitur statuamus, quemadmodum non pauca beneficia ex recto Chymiæ usu Medicinam accepisse, sic etiam plura detrimenta ex pravo ejus usu in Medicinam inuenta. Verum hæc esto non Artis vitium, sed imperitorum Artificum, qui sibi indulgentes, plus Chemiæ tribuerunt, quàm ipsa postulabat.

Id etiam Boerhaavius ipse agnoscit Chymicorum facilè Princeps, qui Orationem conscripsit *de Chemia suos errores expurgante*. Quò magis mirandum est, & minus ferendum, esse aliquos, qui *Magnum Boerhaavium* temere, & contumeliose etiam accusent, tamquam nimio suæ Artis amore obcæcatum, tamquam *in res novas nimis propensum*, tamquam *infelicem in secretionum regulis tradendis*, tamquam *in aphorismis diminutas admodum, neque benè ordinatas morborum historias tradentem*, tamquam.... Sed pudet me tam atrocia maledicta repetere, quæ istos falso sibi sapientis nomen arrogantes, in tantum Virum congerere & effutire non puduit. Proh miram hominum impudentiam! qui Boerhaavium publicè traducere non sunt veriti:

riti : Boerhaavium inquam Artis Medicæ doctrinâ cum paucis , prudentiâ cum nemine comparandum : Boerhaavium Hipocraticæ Medicinæ Instauratorem, quem doctissimi nostræ ætatis homines summis laudibus cumulare non cessant : Boerhaavium omnium pene artium , & disciplinarum cognitione excellentem, quem Medici , qui per Europam præstantissimi habentur , & sunt , & quibus Maximi Reges valetudinis suæ curam concedere non dubitarunt , Magistrum habuisse , laudi , & summo honori sibi ducunt : Boerhaavium denique , cujus librorum lectione omnes , qui sapiunt , ita afficiuntur ; ut si fortè Boerhaavii nomen audiunt , non secus ac si ipsius sapientiæ nomen audirent , venerabundi assurgant. Sed quorsum plura ? Horum invidorum , qui summus Viris publicè , ac ignominiosè detrahunt , & quidquid ignorant , impudenter reprehendunt , insanam audaciam consultius est contemnere , & silentio præterire , ne eorum petulantiam suggillantes , vel minimam probrorum suorum rationem habuisse videamur.

Eò igitur redeamus , unde me indignatio , quasi quidam æstus , abripuit. Cicutæ usus externus jamdiù fuit ad plurima morborum genera constanti Medicorum consensu commendatus. Ad internum vero quod attinet, qui Cicutam extrinsecus exhibere ausus fuerit , si eos excipias , quos primo capite memoravimus , ante Storckium reperio neminem. Hujus igitur experimenta paucis exponam.

Antonius itaque Storckius Cicutæ externè adhibitæ ad tumores frigidos dissipandos , ad scirrhus solvendo , & cancerorum dolores levandos virium sat experienciâ doctus , suspicari cœpit , Cicutam easdem utilitates faci-

liùs, & fortasse etiam alias præstituram, si internè assu-
menda præberetur. Neque prudentem cautumque alio-
quin virum virulentiae nota Cicutæ inusta deterruit; nam
præterquamquod Veterum auctoritati non adeò defere-
bat, ut sibi, ad ulterius experiendum, aditum omnem præ-
clusum esse existimaret; intelligebat etiam venena ple-
raque nihil aliud esse, quam medicamenta quædam,
quæ, sub mole exigua, vi agunt maximâ, & insignes mu-
tationes in corpus inducunt: in quorum adeò admi-
nistratione cautissimè se gerere Medicum oportet.

Postquam igitur extractum Cicutæ in cane tentaf-
set (in homine enim primum periculum sine scelere
fieri non poterat), & in semet ipse innoxiam ejus vim
esset expertus; tum demum eo uti in morborum cu-
rationibus sibi licere arbitratus est. Quapropter pilulas
de extracto cicutæ pluribus ægrotis in Nosocomio, cui
erat Præfectus, exhibuit, idque eventu adeò felici, ut
experimenta deinceps colligere, & opusculum (c) de
Cicutæ usûs interni præstantiâ in humani generis utili-
tatem tribus abhinc annis edere curaverit. Exceptus
fuit liber summo Medicorum plausu; sed, quæ est om-
nium novorum medicamentorum conditio, remedium
variâ fortunâ diu jactabatur. Quamobrem sequenti anno
alterum opusculum (d), & non multo post Supplemen-
tum

(c) Antonii Storck libellus, quo demonstratur, Cicutam non
solum usu interno tutissime exhiberi, sed & esse simul remedium
valde utile in multis morbis, qui hucusque curatu impossibiles
dicebantur. Vindobonæ 1760.

(d) Libellus secundus, quo confirmatur, Cicutam, &c. Vin-
dobonæ 1761.

tum (e) etiam ad hoc adjunxit : in quibus operibus & novas curationes profert , & veteres confirmat.

Virium autem Cicutæ per experimenta Storckiana exploratarum summa hæc est:

Cicuta insensibilem quandoque transpirationem, urinas vero plerumque promovet. Minima nostri corporis vascula pervadit, quò efficacissima medicamenta permeare vix possunt. Hypochondriorum igitur, renum, & uteri obstructions solvit: languori, & membrorum doloribus, & atrophix medetur: generandi potentiam ab obstructione sublatam restituit. In cataractis, *gutta serena*, aliisque oculorum, cæterorumque sensuum organorum vitiis sæpe profuit. Valet adversus hemicraniam, & cephalalgiam inveteratam: adversus vomitum pertinacem, & stomachi dolores: adversus rachitidem, podagram, dolores arthriticos, rheumaticosque vagos, & fixos. Feminas, quæ suppressa menstrua, vel quæ difficilem habent eorum evacuationem, juvat. Indurationes uteri, tumores scrophulosos, strumosos, & mammarum, parotidum, abdominis, & quarumcumque corporis partium scirrhus potentes resolvit: ideoque hydropi, phthysi scrophulari, ictero, & cachexiæ aliquandò medetur. Membris motum, & sensum restituit, quæ nec ipsâ *electrizatione* obtineri potuerant. Acrimoniam sanguinis temperat: serum acre, spissum, tenax dissolvit: quamobrem *in tineâ*, in scabie etiam retropulsa, cæterisque morbis cutaneis utiliter adhibetur: itemque in fluore albo, in gonorrhea inveterata, aliisque luis venereæ symptomatis, quæ

D 2

mer-

(e) Supplementum necessarium de Cicuta, &c. Ibid. 1761.

mercurii ipsius , vel unguento extincti , vel sublimati , & in spiritu frumenti soluti vim eluserunt. Medetur etiam ulceribus malignis , fistulis , & sinibus , & variolarum , morbillorumque reliquiis. Cariem quoque ossium dissipat , & eorum corruptionem præcavet: adeoque in spina ventosa plurimum prodest. Cancrum deniquè sæpe sanat , & plerumque ejus acrimoniam saltem mitigat , benignam suppurationem promovet , & dolores lenit , atque demulcet.

At mirabitur fortasse quispiam , & vix fieri posse putabit , unam eandemque plantam tam varia præstare , tam multiplices , atque inter se diversas morborum sanationes afferre. Verum mirari profecto desinet , si meminerit , Cicutæ virtutem in universam corporis machinam agere humorum tenacitatem resolvendo ; adeoque vasorum , per quæ sanguinis , & aliorum fluidorum fit circulatio , in qua omnis vita , & valetudo consistit , obstructions tollere ; causam scilicet remove morborum non modo supramemoratorum , sed multo etiam plurium fecundissimam procreatricem. Huc accedit , ipsam Storckii experimentorum enarrationem eum candorem præferre , ut nulli dubitationi locus relinquatur. Ad hæc : observationes suas tradit Storckius aliorum Medicorum , & Chirurgorum tum Vindobonensium , tum exterorum observationibus confirmatas. Quibus omnibus Gerardi Van-Swietenii , *Magni illius Boerhaavii* quondam Auditoris , auctoritatem tanquam cumulum adjecit. Qui profecto Gerardus experimentis Storckianis non solum interfuit , sed etiam præfuit : immo idem ipse glandulas colli tumidas , & scirrhasas Cicutæ usu aliquandò sanasse dicitur. Ab eo
tem-

tempore plures morborum sanationes in Germania, (f) in Italia, in Belgio, in Anglia (g), & Gallia (h) secutæ cum Storckii observationibus consentientes eandem Cicutæ vim, atque utilitatem testantur. Neque verò iis omnibus infeliciores fuerunt in Hispania Medici, qui Cicutam administrarunt; quorum quidem curationes capite postremo reperientur.

CAPUT QUARTUM.

QUoties mecum reputo, cur sæpè accidat, ut nova medicamenta cum primùm evulgantur, magnis laudibus excepta, atque in Cœlum usque sublata omnium ore, & usu celebrentur, dein sensim neglecta temporis successu oblivione deleantur; id non tam remediorum, quam Medicorum, & Pharmacopœorum culpâ fieri existimo. Enim vero illi neque morbis, quibus ea propriè conveniunt, neque eâdem semper methodo medicamenta adhibent, quâ primus eorum Auctor præcepit; hi autem in medicina paranda suum potius judicium, quam Inventoris præcepta sequi malunt. Quapropter nil mirum, si remedia alioquin præstantissima Auctoris fidem, ægrorum spem, & Medicorum expectationem fallant. Ad hæc vitanda, postquam morbis, quibus Cicutæ convenit, superius recensuerim, modo jam quo pacto ad Storckii mentem me-

(f) Vid. Comment. de Rebus in Medic. gestis Lips. tom. 8. p. 4.

(g) Vide Monthly Review. Octobre 1761.

(h) Vid. Journal de Medecine 1761. Fevrier &c.

medicamenta ipsa è Cicuta conficiantur, & administrentur, tradere operæ pretium erit.

Præparationes quidem Cicutæ, quibus Storckius utitur, hæ fere sunt: Infusum tam simplex, quàm compositum, Decoctum, Fomentum, Emplastrum, Cataplasma, Mel Cicutæ catharteticum, Extractum. Itaque ut ordine procedamus, incipiamus à primâ, vires, usumque cuique adnectendo.

Infusum.

R. *Herbæ Cicutæ* *quantum placet.*

Affunde aquæ fervidæ *q. s.*

Maneant aliquantisper vase cooperto, ut fiat S. A. infusio, modo dilutior, modo saturatior.

Ulcera sordida detergit: dolores lenit: injectionibus in fistulas, in sinus, in vaginam, atque in quasilibet cavitates faciendis inservit: lintea vero carpta, atque huiusmodi infuso madida parti affectæ applicantur; quæ quidem antequam removeantur, iterum infuso madefiant.

Si loco infusi adhibeatur decoctum; efficacius inde medicamentum evadet, quod majorem iccirco circumspeditionem in usu postulat.

Infusum Cicutæ compositum.

R. *Infusi simpliciiis* *libram unam.*

Aceti lithargyrii *drachmas duas.*

Misce.

Detergens, atque anodynum est. Eo nonnumquam repletur cavum ulceris.

Fomentum è Cicuta.

R. Herb. Cicut. exsiccatæ, & constiffæ
 *quantum libet.*

Hanc linteo sacculo immiffam in aqua fervida, vel ut remedium mitius fit, & minus foetidum, in lacte per aliquot minuta coque: dein exprime, & calenti adhuc sacculo partes affectas fove. Fomentum autem subinde renova.

Gangrænæ progressum sistit, & corruptum à sano separat. Podagricos dolores sedat: immo & tophos articulorum emollit, & dissipat: in rheumaticis, & arthriticis doloribus magnum levamen affert. In strumis scirrhis, in indurationibus glandularum, & mammarum, & demum in ipsis cancris plurimum profuisse observatum est.

Emplastrum.

Emplastrum in officinis passim prostat: quare supervacaneum est, ejus præparationem hic tradere. Ejus quoque vires, & usus notissimus. Noctu præsertim sub cataplasmate affecto loco applicatur.

Cataplasma.

R. Herb. Cicut. quantum volueris.

Coque in *s. q.* aquæ, vel lactis: contunde, & fiat cataplasma S. A. Dolores mulcet: suppurationem promovet.

Mel Cicut. cathæreticum.

R. Pulv. herb. Cicut. . . . drachmas duas

& semis.

Mell.

Mell. rosar. uncias tres.

Misce, & serva in usum.

Linteis carptis superextensum, & callosis cancrorum labiis applicatum ea plerumque exedit: necnon etiam cancos ipsos fungosos erodit.

Extractum Cicutæ.

R. Folior. Cicut. & caulium nondum floridorum. quantum placet.

Contunde, & sub torculari exprime: succum expressum & colatum in B. M. per inclinationem effunde: ut continenter agitatus vaporet ad melleam ferme spissitudinem. Tum remove ab igne, & agitatam denuo, permixtamque massam in solis radiis expone, donec justam extracti consistentiam adquisierit. Ex hoc extracto cum *s. q. pulv. folior. Cicut.* fiant pilulæ ponderis granorum duorum: quæ sanæ maximam resolvendi vim habent.

Extractum hujusmodi legitimè paratum agnosces, si odorem & saporem Cicutæ ipsius, vividiorum tamen, referat: si chartæ affrictum eam non atro omnino, sed obscure viridi colore inficiat: si denique ab aeris attactu non lique scat, quemadmodum facere consuevit illud, quod empyreuma Artificis incuriâ, aut ignorantia contraxit.

Sunt qui, ut extractum conficiant, Cicutæ succum ovi albumine clarificant: verum ii meo quidem iudicio haud rectè faciunt. Dum enim extracti elegantiae nimis diligenter student, illud plurimum efficacissimarum particularum ovi glutine irretitarum viribus spoli-
liant.

liant. Sed eò in primis Artificis cura spectare debet, ut propria illa, & præcipua Cicutæ principiorum crassis, quantum fieri possit, in extracto conservetur, cavendo ne ab ea recedens nimia ignis violentia in alcalicam naturam transeat. Utimur vero ad succum eliciendum Cicutæ herba, abscissa radice, ut Storckius monet.

Atque hæc est simplicissima illa extractum Cicutæ conficiendi ratio, quam nos probamus non solum Dioscoridis (i) auctoritate moti, quem methodo non admodum ab simili Cicutæ succum solis calore in pastillos densatum adhibuisse accepimus, sed etiam ipsa experientia edocti: nam hujusmodi nostro extracto plures morbos sanatos fuisse, frequenter vidimus.

Quod vero ad universam methodum hæc medicamenta administrandi attinet, Storckius ægroto convenientibus remediis præparato duas, vel tres, vel quatuor, vel etiam sex extracti pilulas manè & vespere quotidie exhibet, & infusum folior. Veron. Heder. terrestr. Scab. florum Samb. vel aliud simile superhibendum jubet. Sensim autem dosim auget, donec levamen æger experiri incipiat: tum vero ea in dosi consistit. Ubi animadvertendum est nonnumquam contingere, ut primis curationis diebus nullus effectus sensibilis Cicutæ usum consequatur; successu tamen temporis obtinebitur.

Externè adhibet pro re nata cæteras Cicutæ præparationes, cujus vires, & usum superius descripsimus.

E

Ne-

(i) Dioscorid. lib. 4. cap. 74.

Neque totum curationis opus soli Cicutæ committit. Adjungit aliquando pro rei opportunitate, & symptomatum morborumque complexu alia medicamenta. Exempli causa in febris intermittente, vel in summa humorum putredine, Cicutæ extracto chinam-chinam addit: in doloribus rheumaticis præter Cicutæ pilulas rad. Bardan. decoctum ad usum: in podagra præter easdem pilulas magnam feri lactis copiam præbet. Si febris accenditur, Cicutæ dosim imminuit: venæ sectionem instituit: nitrosa commendat. Interdum etiam materiæ morbificæ exitus cultro parari debet. Illud vero præcipue animadvertendum, alvum perpetuò lubricam servari oportere: sæpe etiam eam subduci, rhabarbaro scilicet, vel alio purgante medicamento subinde exhibito: quod sane quoniam materiæ morbificæ à Cicuta jam resolutæ expulsionem è corpore promovet, opportunissimum esse sub extracti usu experientiâ compertum est.

Qui Cicutam sumunt, ea victus ratione utantur, quæ iis, qui è morbo convalescunt, præscribi consuevit. Alimenta nimirum sint facilis concoctionis, & boni succi. Vitentur non satis fermentata, necnon acria, & aromatica. Vini moderatus usus non interdicitur. Aer purus, ut in locis campestribus, & ventis leniter, & frequenter perflatis, & mediocris corporis exercitatio non parum curationem juvant. Contrâ obsunt motus violenti, & præsertim partes affectas fricare sæpius, & scalpere: quapropter à thoraculis angustis, vestibisque ruvidis, & hispidis indusiis in mammarum cancro diligentissime cavendum.

Cæterum Cicutæ extractum innocentissimum reme-

medium est : cujus unciam semis quotidie tuto exhiberi aliquando posse testatur Storckius. Ejus quoque convenientem dosim pueri ipsi , puerperæ , gravidæ , & senes absque ullo periculo , immo etiam cum insigni utilitate sæpius usurparunt. Siqui tamen sunt, qui ex idiosyncrasia Cicutam ferre non possunt, hi abstinant.

Atque hæc pauca de curationis methodo attulisse sufficiat : plura Medici , & Chirurgi prudentiæ necessario reliquenda sunt. Qui si in medicina facienda experientiam , & rationem ducem sequantur , nihil profecto offendent , & officio suo rite fungentes ægrorum languoribus mirifice subvenient.

CAPUT QUINTUM.

*Historiarum morborum Cicutæ Matritensis usu
proglitatorum Decas.*

AD Cicutæ efficacitatem in sanandis morbis uberiorius demonstrandam , operæ pretium duxi varias hic curationes adnectere , quas in variis morbis insigniores Medici , & Chirurgi Matritenses , quibuscum familiariter utor , felici eventu recenter susceperunt. Earum seriem , ut mihi quisque candide , amiceque impertitus est , fideliter exponam.

HISTORIA PRIMA,

*Communicata à Laurentio Rolandio, Protochirurgo
Castrensi, & in Regio Collegio Chirurgorum
Barcinonensi Propræside, & Pro-
fessore peritissimo.*

AD Nosocomium Barcinonense accessit Vir quidam
ruricola, tricesimum circiter annum agens, tem-
peramenti phlegmatici, qui quartum jam annum in
sinistri oculi majori cantho pertinax ulcus habebat.
Hujus diameter unius fere pollicis: omnia aderant
symptomata, quæ cancerum comitari consueverunt: la-
bia nimirum reflexa, & callosa, color lividus, sup-
puratio serosa, & acris, quæ & ipsum ulcus, & junc-
tam ei cutim roserat: odor intolerabilis: æger deni-
que acutissimis vexatus doloribus noctes ferme sem-
per agebat insomnes. Rolandius cum ex hujusmodi
signis ulcus cancrosum esse judicasset; decrevit agroto
præscribere extractum Cicutæ, quod tunc quidem pri-
mum in illo Nosocomio fuit adhibitum, cujus vires
adversus eos morbos magnas esse ex Storckii opuscu-
lo paulo ante edito intellexerat. Postquam igitur æ-
grum consuetis remediis præparasset, venæsectione scili-
cet, purgantibus, aliisque humectantibus, & temperan-
tibus medicamentis; parari jussit extractum ex cicutâ,
quam eandem prorsus esse cum illâ Storckii, pro
comperto habebat. Sed initio illud ad dosim, quam
Auctor proponit, exhibere noluit. Plantæ enim virium
efficacitatem nondum erat expertus; quæ sane (ut
eru-

eruditissimus Astrucius (a) cautè monet) pro varia solitione non parum variare solet. Oportebat etiam Medicorum, Chirurgorumque, quos ad consultandum advocaverat, aliqualem rationem habere, qui, si res malè celsisset, nimiae vel levitatis, vel audaciae cum ægrorum periculo eum insimulare potuissent. Præscripsit itaque granum unum manè, & vesperi per diem, exhibuitque toties superbibendam lactis libram decocto Cich. sylvestr. temperatam, commendato etiam interdiu ejusdem Cich. sylvestr. decocti usu. Tribus diebus transactis granum alterum manè, & vesperi addi jussit. Die sexto, & singulis posthàc diebus sensim singulas doses grano auxit; & quinto decimo quoque die alvum duci curavit. His præsiidiis dolores mitescere: æger placidiùs dormire: suppuratio meliùs procedere, mediocris fieri consistentiæ, & minus foetere: ulceris labia mollescere: fundus verò rubicundior in dies colorem induere cœpit. Continuatus est usus extracti gradatim augendo dosim ita, ut usque ad septuaginta demum grana sumenda perventum fuerit, triginta quinque scilicet manè, totidemque vesperi. Tum denique materias balsami consistentiam adipisci: cessare penitus dolores: carnis regenerationem paulatim fieri: tegumenta coalescere: ulcus coire, ac post tres menses ab institutâ curatione, cunctis mirantibus simul, & lætantibus, ægrum omnino convaluisse observatum fuit.

HIS-

(a) Tract. de Morbis mulier. tom. 3. lib. 2. cap. 7.

HISTORIA ALTERA,

Communicata ab eodem Clar. Viro.

PER idem fere tempus aderat in Nosocomio æger alter sexagenarius, vultu fœdo, & ulceribus, quæ depascentia vocant, à duodecim annis undequaque erosio. Quamobrem ad Nosocomii partem incurabilibus attributam, tamquam re desperatâ, fuerat ablegatus. Glandulæ maxillares, parotidesque etiam exulceratæ: nâsus magnâ ex parte exesus: ductus salivales Stenonianî perforatî: dolores acerbissimi: humor extillans acris, & rodens: teterrimus inde fœtor exhalans: oræ ulceris reflexæ: corpus præterea macie extenuatum. In angusto res erat: sed præstabat anceps experiri remedium, quàm nullum. Tentandum itaque censuit Vir Clar. bono memorati ægroti eventu audentior factus, extracti Cicutæ usum eadem prorsus ratione, qua factum fuisse superiori historia traditum est. Cùmque post duos menses elapsos jam scrupulos duos quotidie æger caperet, adeò morbo levatus esse videbatur; ut materiæ ex tenuibus, & acribus crassiores, & purulentæ evaserint: ulcus minus fœtere: tubercula carnea rubescere: labia ulceris sensim mollescentia coire coeperint: doloresque prorsus evanuerint. Natura tamen imbecillior in dies evadens, morbi & remedii vi fracta tandem succubuit. Hinc tamen liquido patet, medicamentum, quantum fieri potuit, ægroti vitam protraxisse. Et certè valente natura remedium absque dubio vim morbi vicisset; sed infirmioris jam, & languentis naturæ vitio evenit, ut morbi vis remedium ipsum vinceret, ac superaret.

HIS-

HISTORIA TERTIA,

*Communicata ab Antonio Herrero, Familiae Reginae
Elisabethae Medico, & Regiae Academiae
Medicae à Secretis.*

Obstetrix quædam quinto jam mense sævissimis cruciabatur abdominis doloribus, qui vulgarium medicamentorum usu nedum minui, sed etiam augeri videbantur. Ingravescente morbo cum ægra dolores ferre vix posset, & frequentius in animi deliquium incideret; mortem jam jam instare facile sibi persuaserat. Tum accitus Herrerus invenit eam syncope correptam, pulsu arteriarum vix sensibili, atque imo ventre durissimis tumoribus inæquali, quibus vel leviter contrectatis intolerabiles ardores cum intensis doloribus se sentire querebatur. Quapropter cardiacum medicamentum præscripsit, & parti dolenti cataplasma ex herba Cicutæ applicari jussit, itemque pilulas ex ipsius Cicutæ extracto methodo Storckianâ per plures dies exhibuit. Quibus auxiliis adeò profecit, ut intra viginti circiter dies domo exire, & spatium ad libitum mulieri percommode liceret, de cujus salute haud multo ante pene omnino fuerat desperatum.

Idem etiam laudatus Herrerus mihi sæpius testatus est, se quidem in cancris mammarum exulceratis Cicutæ extracti vires nondum fuisse expertum: in occultis autem, quos vocant, cancris, & abdominis scirrhis, in cancrum jam sensim vergentibus, resolvendis nunquam sine bono eventu idem extractum adhibuisse.

HIS-

HISTORIA QUARTA,

*Communicata à Joanne Lopezio , Caroli Regis
Familiae Chirurgo.*

MOnialis quædam consistentis ætatis , temperamenti sanguineo-lymphatici, habitûsque non ab-
similis , menstruis evacuationibus paulatim deficienti-
bus , iisdem penitus destituta est. Ob eam causam sub-
ortus est primum tumor in liene durus , nec ita par-
vus , deinde in variis mesenterii glandulis , & in ipso
utero plures naturæ scirrhosæ tumores magnitudinis
Limoniorum succrescentes successu temporis in can-
cros abierunt. Administrata sunt ei remedia quæcum-
que tradit praxis , & Auctores primæ notæ , tum ad
excretionem menstruam deficientem restituendam , tum
etiam ad tumores resolvendos. At ejus fuit pertina-
ciæ morbus , ut superveniente artuum inferiorum œde-
matisâ tumescentiâ non sine pungentibus , acerbissi-
misque doloribus , inappetentia quoque , aliisque trif-
tibus symptomatis ingruentibus , plures Medicos , &
Chirurgos consulere fuerit necesse , qui omnes una
voce de ægrotantis salute actum esse existimarunt. Hic
Lopezius Storckii opusculum , ejusque inventum ad
memoriam revocans , similitudinem quamdam huic
morbo cum morbo in *casu* , sive Historiâ secunda Stor-
ckii tradito interesse animadvertens , ægrotæ extracti
granum manè , & vesperi per sex dies , & florum Sam-
buci infusum superbibendum dedit. Subsequentibus
quatuor diebus præscripsit tria grana manè , & vesp-
eri assumenda ; atque ita in dies granum singulis do-
si-

fibus addere pergit, donec eò perventum esset, ut per plures dies extracti scrupulos duos bis in die sumeret. Incredibile est, quantas mutationes usus Cicutæ per quatuor menses continuatus in ægra molitus fuerit, quotque bona pepererit: dolores remissi: tumores resoluti: corpus detumuit: alvus quandoque subducta: appetitus excitatus: uno verbo, ægra pristinæ valetudini restituta.

HISTORIA QUINTA,

*Communicata à Francisco Bonillo, Caroli Regis
Familiaë Chirurgo.*

MAtrona quædam, honesto satis loco nata, Theresia Lopezia nomine, septuagesimum secundum annum agens, ingenti cancro mammam dexteram obsidente vexabatur: cachexiâ præterea laborabat, urinæ suppressione, feбри continuâ, leucophlegmatiâ, inappetentiâ, & vigiliis. Cancer foetorem efflabat cadaverosum: ejus ambitus venis turgebat lividis: labia reflexa, dura, inæqualia; & intensus ubique dolor. Franciscus Bonillus curationem instituit in D. Antonii Abbatis Nosocomio sub mensis Augusti finem. Primis igitur sex diebus Cicutæ extracti granum manè, & vesperè præscripsit. Tum verò mirâ, quâ pollet, dexterritate cancrum secuit, qui sex circiter libras pendebat. Die ab instituta curatione septimo tria grana ejusdem extracti exhibuit manè, totidemque vesperi: jamque uberiores urinæ copiam excerni animadvertens, ob imminentis diarrhææ metum quatuor ex-

tracti Chin. Chin. grana extracti cicutæ granis itidem quatuor manè, & vesperi capiendis addidit. Prosperè succedebat ulceris suppuratio, & urinæ copiosa, & expedita excretio. Quapropter octo extracti Cicutæ grana cum quinque extr. Chin. Chin. granis quotidie bis exhibuit. Jam vero omnia ad sanitatem spectare visa sunt: ulceris margines cicatrice obduci: suppuratio laudabilis, & copiosa: urina, appetitus, somnus optimè. Die vigesimo octavo Tinct. Rhabarb. uncias quatuor propinavit; cujus ope alvum octies deiecit: dieque trigesimo tertio iterum eandem Tincturam assumpsit. Interea vero extracto Cicutæ prædictâ methodo, & dosi continenter utebatur usque ad diem sexagesimum tertium: quo die primùm Nosocomio egressa est. Postridie rursus Tinctura Rhabarb. utiliter exhibita, ususque Cicutæ semper continuatus. Ad diem septuagesimum quintum ulcus omnino coierat. Quare non multo post domum rediit, non modo cancro sanato, sed etiam à leucophlegmatia, urinæ suppressione, cæterisque symptomatibus supra memoratis libera. Cùmque per aliquod tempus Cicutæ usum nolisset intermittere, paulatim desuescere cœpit. Nunc autem adeo prosperâ valetudine utitur, ut ipsamet de historicæ hujus veritate dubitanti fidem facere possit.

HISTORIA SEXTA,

*Communicata à Joanne Gamezio, Regio Anatomes
Professore, & Regiæ Familiæ Medico.*

F*Eliziana Gavina*, Conjux Fabri Lignarii in Oppido
Morata, laborabat tumore scirrroso durissimo, &
apophysibus transversis vertebrarum adeò tenaciter
adhærente, ut operationem Chirurgicam vix, & ne
vix quidem admitteret. Id etiam incommodi erat, quod,
plexu brachiali propter tumoris situm compresso, para-
lysis propinquo brachio supervenerat. In hoc statu Ga-
mezium convenit, qui statim consulit, ut pilulas ex
Cicutæ extracto methodo Storckianâ quotidie sumat,
aperientibus, & resolventibus externis non omisis.
Post tres hebdomadas observatus tumor tertiâ sui par-
te diminuitur, brachio aliquatenus sensu restituto. In-
terea contigit, ut à scalarum satis alto loco præceps
usque ad imum infelicitè adhuc infirma ceciderit. Ca-
sum ex violenta nervorum concussione, subitoque pa-
vore biliosus, & variegatus vomitus consequitur, nec-
non alvi fluxus. Quinque horarum spatio sensibus des-
titutæ venæ sectionem adhiberi necesse fuit. Quid tum?
Observatâ denuò parte affectâ, tumor in plures velu-
ti glandulas, easque molliores divisus apparuit; quæ
omnes vix tertiam pristini tumoris magnitudinem æqua-
bant. Brachii quoque motus sensim expeditior, promp-
tiorque. Hinc protinus ægra pergens sana, & incolumis
è vado emerfit.

HISTORIA SEPTIMA,

Communicata ab eodem Clar. Viro.

Mulier quædam, *Rev. admodum P. Josephi Moreno*, Ordinis Prædicatorum, affinis, sexagesimum ætatis annum supergressa, diris, & pungentibus doloribus torquebatur à tumore ortis carcinomatoso cum carie, qui oculi dexteri partes molles, orbitamque ipsam, pomulum, & apophysim orbitariam maxillaris majori ex parte exederat. Gamezius in tanta rerum calamitate, adhibito etiam in consilium Augustino Navarro Cohortis Regiæ Sagittariorum Chirurgo dexterimo, sumere quotidie ægrotantem jussit Cicutæ Decocti cochlearia duo librâ lactis temperata. Vix octo dies elapsi fuerant, cum dolores minui, ulcus minus foetere, materiæ effluentes laudabiliores esse, & levamen tantum, quantum nullo alio medicamento obtineri potuerat. Quod si hæc bona præstitit Cicutæ Decoctum in muliere sexagenaria, inveterato morbo, & crudelissimo; quæ, & quanta censendum est, præstitutam ægris in virili, & firmiore ætate, in mitioribus morbis, aut in ipso morbi principio adhibitam? Ego fane (ait Gamezius) vires Cicutæ sæpè expertus ita statuo: non modo in morbis hætenus recensitis ejus usum esse mirificum, sed etiam in paroxysmis asthmatis convulsivi cæteris medicamentis antecellere, ne Scillâ quidem exceptâ.

HISTORIA OCTAVA,

*Communicata à Raphaele Flores. Belgicorum Regii
Corporis Custodum Chirurgo.*

E*Mmanuel de Robles*, Arti Tinctoriæ à Rege Præfectus, plusquam sexaginta annos natus, sanguinei temperamenti robustissimi, ischuriâ correptus fuit mense Augusto, anno proximè elapso. In auxilium accitus Flores. observavit tumorem quemdam durum, & æqualem, qui regionem hypogastricam præsertim occupans ad inferiorem usque umbilicalis partem pertinebat: ubi erat quatuor ferme digitos latus: latior in medio: ad extremum vero inferius vix trium digitorum latitudinem æquabat. Universus hic tumor vesicam urinariam referebat ampliata, parietibus duris præter naturam, & crassis. Interrogatus ægrotus respondit, haud novum esse tumorem illum, nunc tamen solito videri majorem. Chirurgi itaque judicium fuit: vesicæ laterum magnam partem scirrho laborare. Postquam igitur balneorum ope, sanguinis missionis, pulveris uvæ ursi, atque aliorum idoneorum medicamentorum à paroxysmi symptomatibus ægrum liberasset; exhibuit ei extractum Cicutæ methodo Storkianâ, consilio usus Alphonsi Lopi Torralbæ, Regiæ Familiæ Medici experientissimi. Et extractum quidem quotidie per mensem assumpsit, minimâ primùm dosi, deinde vero ad octo usque grana gradatim auctâ; adeoque immixtus est tumor, ut remedium sponte intermiserit. Sub finem autem Novembris cùm nimium se exercuisset, & errores in diætâ admisisset, en denuo ingruit inflammatio

tio vesicæ , omnibus symptomatibus stipata , tumore præsertim , & feбри: quæ celebratâ venæ sectione aliquantulum sane remiserunt: sed extracto Cicutæ statim administrato , vel præsentè adhuc feбри , meliùs habere cœpit , simulque urinam excernere primùm valde sanguineam , dein purulentam: quâ quidem naturalem crasim Cicutæ usu sensim adeptâ , & tumore penitus evanescente , æger convaluit.

HISTORIA NONA,

Communicata à Magino Angelichio M. D.

Eusebius Morales. Cœmentarius Exstructor , quadraginta circiter annos natus , dum in novis Regiis Ædibus laboraret , quasdam umbras quasi muscas sibi ob oculos obversantes animadvertit. Quæ tandem ita visum obscurarunt , ut opus intermittere coactus fuerit. Tum Ocularium adiit , qui plura topica applicuit , & ægri oculos fasciâ obligatos per decem perpetuos dies tenuit. At incassum: nam non modo nihil inde levamenti obtinuit : quin potius lumine , quod supererat , penitus orbatus est. Ocularius igitur ægroto , & ægroti saluti valedixit. Hic tamen cùm se adhuc juvenem , & morbum recentem esse intelligeret , Angelichii opem imploravit ; qui postquam ex accuratâ signorum consideratione morbum *guttam serenam* esse cognovisset , à nervorum opticorum obstructione ortam ; haud ignarus virium , quas Extractum Cicutæ ad tumores frigidos , & scirrhosos fundendos habere dicebatur , sibi persuasit , illud materiem hujusmodi obstructiorum non adeo tenacem,

cem, neque inveteratam adeo, multo facilius resoluturum. Præscripsit itaque quotidie pilular. de Extracto Cicutæ drachmam semis. Quarum ope (neque enim aliud sive internum, sive externum medicamentum adhibitum fuit) intra paucos dies visum omnino recuperavit; & paulo post uxorem duxit, qui paulo ante ab ipsâ duci debuisset.

HISTORIA DECIMA,

*Communicata à Francisco Villaverde Regiæ Classis
Pro-Chirurgo, & in Gaditano Chirurgorum
Collegio Professore.*

Joannes Perezus, Marmorum lævigator, trigesimum tertium ætatis annum agens, robustissimi temperamenti, sanguineo-pituitosi, postquam è febris quadam malignâ convalescens artificiosissimo cuidam operi magnâ corporis animique contentione operam dedisset; oculorum debilitate cœpit laborare: quam per duos annos quotidie magis magisque adaugescere sensit. Et initio quidem umbræ, aranearum telæ, pulvis, aliaque hujusmodi, quæ in hoc morbo *imaginationum* nomine veniunt, ante oculos obversari sibi videbantur. Huic ægritudini binæ sanguinis missiones, cantharidesque cervici admotæ aliquantulum levationis attulerunt. Sed post annum morbus ita vehementer recrudit, ut sub hyemis finem oculus sinister nihil prorsus videret, dexter vero duos post menses album, nigrumque vix discerneret; quo fiebat ut solus incedere sine pedum offensione, & casus periculo non posset.

In-

Inter hæc Villaverdem convenit, qui omnibus rite, & diligenter exploratis animadvertit primùm, utriusque oculi bulbum nimis convexum esse, & præter naturam crassum: corneam præterea opacam exiguis hydatidibus hinc inde turgescere, quæ vesiculas, seu potius vasculorum lymphaticorum varices referebant: pupillam demum, quamquam neque ea, neque cæteræ bulbi partes vitium ullum præferrent, Solis tamen radiis expositam multo minus, quàm oculi bene constituti natura postulat, coarctari. Id ipsum etiam observavit, quotiescumque ægrotus oculos claudebat vicissim, & aperiebat: eo tamen discrimine, quod si alterutro oculo clauso remanente, alterius palpebras fricaret, & dein subito disjungeret; pupillæ constrictione erat vel paulò minor, quàm si utrumque simul aperiret. Æger præterea lucem, & tenebras discernebat: sed objecta distinctè cognoscere non poterat. Pupillæ denique color naturalis: neque in crySTALLINO vitium ullum apparebat.

Ex quibus signis Villaverdes hominem *gutta serena imperfecta* laborare conjecit. Qua de re cum præstantiores Medicos, & Chirurgos Hispanienses quoscunque quidem noverat, consulisset; Cicutam juxta Storckii methodum ægro administrare statuit. Minima primùm extracti dosi præscripta: ad scrupulos quatuor gradatim aucta. Inter hæc autem hirudines semel adnotæ, venæ sectio bis adhibita, purgantia sæpius iterata. At æger sub ipso curationis principio remedii vires feliciter procedere sensit: umbræ oculi dextri evanuerunt: hydatides detumescere, & iris motus ad naturalem accedere cœperunt: visus denique paulatim restituebatur

in-

in signi adeo levamine , ut solus jam incedere potuerit, & intra mensem , visu illius oculi penitus fere recuperato , ad intermissam lævigandorum marmorum operam se retulerit.

Interea vero pilularum usum minime intermisit. Cùm tamen nulla inde in melius mutatio in altero oculo apparere videretur ; ad causam hujus pertinaciæ diligentius exquirendam se conferens , ægrotantis temperamentum , vivendi rationem , medicamenti naturam accuratius ad trutinam revocavit : quibus sedulo perpensis , exactiorem vivendi normam ægroto præscripsit , & ut quantum fieri posset , à quotidiano sui officii labore abstineret , serio monuit : pilularum itidem dosim à scrupulis duobus , quos manè , & vesperi assumebat , ad drachmam integram continuò progredi jussit : venam demum pedis semel secari curavit. Quibus præsiidiis id tandem usque in hunc diem consecutus est , ut sinister quoque oculus diversa inter se objecta perspicue satis discernat. Quamobrem dubitari vix potest , quin continuato adhuc Cicutæ usu perfectam utriusque oculi sanationem obtineat. Neque silentio prætereundum est , quòd æger toto curationis progressu nullam suarum functionum alterationem expertus fuerit : si illud excipias , quod duobus primis diebus , quibus singulis extracti drachma bis exhibita , levissimam sensuumurbationem vix per horam ab assumptis pilulis pati sibi visus est ; quæ tamen haud multo post evanescebat : verum sequentibus diebus hoc idem nullo pacto iterum contigisse observatum fuit.

ANIMADVERSIONES.

VISUS privatio, quæ Græcis ἀμαύρωσις, Latinis *gutta serena* dicitur, ab spirituum animalium per nervos opticos fluxu intercepto oritur: quare in hoc morbo neque in bulbo oculi, neque in ejus tunicis, aut humoribus ullum vitium exterius apparet. Infinita prope modum caussarum varietas hujusmodi succi nervei cursum impedire potest: effectus tamen, qui plerumque inde sequuntur, sunt vel fibrarum nervi optici laxitas, vel compressio truncum ejus, aut originem obstruens: quæ omnia modo à repletionem, modo ab exinanitione proveniunt.

ANIMADVERSIO I. Non una eademque est ratio, quâ in plethoricis corporibus spirituum per nervos opticos fluxus fit interceptio. Qui sane nervi è thalamis opticis originem ducunt, partimque etiam è corporibus stiatris, quæ partem parietum anteriorum ventriculorum superiorum, seu lateralium cerebri constituunt. Hi autem ventriculi non modo inter se, sed etiam cum tertio, & cum quarto communicant. In quatuor hisce ventriculis frequentissima serpunt vasa sanguifera, præsertim vero in anterioribus, in quibus situs est plexus choroideus sub parte anteriore fornicis, qui horum ventriculorum inferiorem partem efformat. Si itaque sanguinis motus lentius procedat, quemadmodum in plethoricis accidit: aut si nimiam copiam ad cerebrum affluat, veluti fit in motibus violentis, in parturientium (a) nixibus, & in amissa vasorum elasticitate ob

com-

(a) Mauriceau Cent. 3. obs. 568. p. 470.

commotionem aliquam ictu e. gr. illatam ; (b) vasa tunc sane distenduntur , & nervorum originem comprimunt. Ex stagnatione autem sanguinis copiosior ejus feri secretio contingit ; quod serum in ventriculis paulatim cumulatam substantiam medullarem , quæ nervis opticis originem præbet , nimis laxat. Laxatis vero nervis , & eorum debita tensione , quæ & ad objectorum externorum imagines ad sedem animæ transmittendas necessaria prorsus est , & non nisi perpetuo spirituum fluxu conservatur , deficiente , deficiat quoque specierum visualium transmissio absque ullo apparente organi vitio , necesse est.

ANIMADVERSIO II. Plethoram quoque vasa comitatur semper omnium vasorum sanguiferorum dilatatio. Atqui nervus opticus per foramen opticum , quod situm est in fundo orbitæ transiens arteriâ ophthalmicâ stipatur. Si igitur hæc arteria nimis distenta , & turgida sit ; socium nervum adversus foraminis optici parietes osseos , ac propterea sanguinis impulsui non ita facile cedentes , ac mollior nervi substantia , profecto comprimet , atque adeo obstruet. Unde & succi nervei cursûs interceptio , & visûs orbatio sequitur , qui sæpe adeo sanguinis missionum ope restituitur.

ANIMADVERSIO III. Nervi optici paralyseos causam vel in locis ejus origini contiguâ sitam esse (ob pressionem scilicet , quæ à vasorum repletionem , & feri in ventriculis anterioribus stagnationem à lento sanguinis motu proveniente oritur) , vel in ipso nervo orbitam subeunte inhaerere superius diximus. At vero proficisci etiam po-

G 2

test

(b) Hildan. Cent. 5. obs. 8. Amat. Lusit. c. 5. obs. 64.

test paralyſis ex ſanguiferorum vaſorum plethorâ ipſam nervi optici ſuperficiem occupantium ; quæ vaſa cum obſtruuntur , medullares nervorum fibras compri-
munt , & lymphæ in circumjacentia vaſcula reſſum impediunt , adeoque materiem , & cauſſam præbent plurium tuberculorum nervi truncum obſidentium generationi : quod etiam animadvertit *Pavius Obſerv. Anat. 2. & Wepferus de Apoplex. Hiſt. 4.* Simulque in cauſſa ſunt , cur nervus tandem extenuetur , ut ſæpius obſervatum fuiſſe teſtatur *Bonetus in Sepulc. Anat. lib. 1. ſect. 18. obſ. 3. & 4.* Et tunc quidem auctus horum vaſculorum perſtrepens pulſus facile ab ægrotis perſentitur , eorumque oculos ſpecie ſtellularum , & veluti ſcintillarum inter umbras tenebrasque natantium mirifice perſtringit.

ANIMADVERSIO IV. Extenuatio , ſeu potius atrophia , in quam ob temperamenti imbecillitatem incidunt ſenes , necnon immodicæ ſpirituum vitalium & animalium diſſipationes eam guttæ ſerenæ ſpeciem , quam per inanitionem fieri diximus , non raro generant. Tunc enim vaſa ſanguifera concidunt , & fluidi nervei ſecretio imminuitur : unde vertigines , animi defectiones , & paralyſes. Hic autem maximam illam conſenſionem , ac veluti quamdam neceſſitudinem , quæ inter viſûs , & generationis organa intercedit , peculiari animadverſione obſervare oportet. Enimvero ab immoderato coitu oculorum debilitas , aut etiam viſûs orbatio ſupervenit. Quod ſane evincit , affinitatem quamdam eſſe inter humoris prolifici ſubſtantiam , & naturam ſubtiliſſimi illius fluidi , quod in cerebro ſecernitur , & per nervos diſtribuitur. Unde
pa-

pâtet, quò copiosior est unius excretio, eò parcio-rem fore alterius secretionem; quâ deficiente, nervos atoniâ laborare, visumque aut multò imminui, aut omnino deleri necesse est.

ANIMADVERSIO V. Iris constrictio, ab appulsu radio-
rum lucis excitata, ad eorundem vim temperandam ne-
cessaria prorsus est. Irim autem continuari cum tunicâ
choroideâ, quæ juxta aliquos (e) præcipuum est visûs
instrumentum, ipsamque choroideam cum pia matre
continuari melioris notæ Anatomici tradunt. Quo-
tiescumque igitur ægotantem oculum explorare vo-
lumus, utrumque oculum in diurna luce colloca-
tum claudere jubebimus: statimque deinde eum tan-
tummodo aperire, de cujus ægritudine suspicio subest. Si
dum hæc fiunt, iris maxime coarctatur, oculum valere:
si non satis constringitur, oculum debilitatum esse, judi-
candum est: atsi omnino nihil contrahitur, omnino pari-
ter ad videndum ineptum evasisse eundem oculum affir-
mabimus. Uno verbo: quò minor est iris motus, eò
major erit visûs imminutio. Enimvero oculus sanus in
luce vivida pupillam coarctat, atque ita plurium ra-
diorum visualium ingressum impedit, quorum decus-
satio confusam objectorum imaginem absdubio red-
deret: conumque opticum imminuens, eos tantum ra-
dios admittit, qui organum suaviter afficientes distinc-
torem imaginem efformare valent. In debiliore au-
tem lumine, quoniam ejus impressio non adeo vivi-
da est, neque satis vehementer organum afficit, iris
dilatatur; tumque pupilla ampliata majori radiorum
co-

(e) Lecat, & Mariotte.

copiæ ingressum præbet, qui lucis debilitatem compensantes, minus confusam minusque obscuram imaginem imprimunt. At vero etsi iris immobilitas sensus in organo privationem portendit, quæ à nervorum, aut obstructione, aut paralyâ proficiscitur; animadvertendum tamen est, nonnumquam accidere, ut si ex duobus oculis unus valeat, alter ægrotet, sani oculi motus aliquam spirituum copiam in nonnullas ægri oculi fibras nondum penitus obstructas agat: quorum spirituum ope pupilla aliquali coarctationis, & dilatationis motu gaudet, qui sympathicus est, & incautos fallit. Id in nostro homine à Villaverde observatum.

Ex supradictis patet, Joannem Perezium *gutta serena* laboravisse ab organi debilitate, & fibrarum nervearum obstructione ortâ, quam & antecedens febris maligna, & immodica in laborem continenter subsequuta contentio induxerunt: quibus causis accessit motus in humoribus naturâ lentissimus. Apparet quoque Cicutæ agendi ratio, & mirifica ejus virtus evacuationibus sanguinis non parum adjuta. Quæ sane evacuationes humorum copiam imminuerunt, eorumque motum promoverunt, atque adeo vasorum distractionem, & nervorum pressionem removerunt: Cicuta vero tenacem lympham, cujus stagnatio fibrarum medullarium obstructionem pepererat, attenuavit, atque incidit, ad cujus evacuationem purgantia satis admodum contulerunt. His autem omnibus factum est, ut nervorum sensus, atque animalium spirituum motus restitutus fuerit, fibrarum medullarium obstructiones evanuerint, & pupilla motum, quem à natura acceperat, febris
&

& laboris violentiâ deperditum, Cicutæ, & artis ope feliciter recuperarit.

Hæc decem tentamina à decem non obscuris Medicinæ, & Chirurgiæ Professoribus prospero eventu peracta peculiarem Cicutæ efficacitatem ad varios morbos sanandos nuper detectam ita luculenter ostendunt; ut nullus dubitandi locus ne sceptico quidem, aut scepticissimum affectanti deinceps remaneat. Harum autem curationum maxima pars nostri extracti usu (quod absque jactantia dictum intelligatur) hucusque feliciter processit. Qua propter universos nostræ Hispaniæ Medicos, Chirurgoſque, ad quos libellus iste forte pervenerit, enixe rogo, & obsecro, ut suorum conterraneorum commodis prospicientes, eadem tentamina in memoratis, & aliis quoque morbis, ut ipsis opportunius visum fuerit, nimis scrupuloso metu deposito, frequentius repetere studeant; eorumque, quivis tandem fuerit, eventum vel per litteras vel quocumque libuerit, modo, mihi benevole, & sine invidia imperiri ne pigeat. Si enim hunc quantulumcumque laborem vel tantisper placuisse intellexero; mihi est animus ea omnia undequaque diligenter conquisita in unum colligere, atque eorum locupletioſeriem, tanquam appendicem huic Opusculo adtextam, publici juris facere: ut hic adeo proficius Cicutæ usus, qui in tot exteris regionibus longe lateque cum tanta hominum utilitate percrebescit; per nostram etiam, quantum fieri poterit, Hispaniam, ad majus Medicinæ incrementum, uberiori incolarum fructu latius propagetur, simulque etiam atque etiam in dies augeatur.

FINIS.

Errata Typographica.

PAG. 7. lin. 5. Petrosclini, leg. *Petrofelini*. Ibid. lin. 8. piunatifidis, leg. *pinnatifidis*. Pag. 12. lin. 24. Recentiorem, leg. *Recentiorum*. Pag. 15. lin. 15. summus, leg. *summis*.

Quatuor hæcce errata typographica, & siquæ alia fortè irrepsérunt, B. L. facilitè condonabit, & corriget.





Índice de los papeles que contiene
en este tomo 16. de los pa-
peles Varios -

- 1.º Sermón Panegírico moral de S.^{ta}
como y S.^{ta} Damian predicado p.^{ta}
fr Antonio Miguel Lleras Comi-
nicano en Madrid año de 1786.
 2. Conclusiones de Medicina defendidas
en la universidad de Terceira p.^{ta} Chri-
stobal Guañan en Terceira año de 1787.
 3. Conclusiones de Botánica, de D.^{to} Josef
Garriga, y D.^{to} Antonio Cañá en Madrid
año de 1787.
 4. Modo de remediar el abuso que ay
en las amputaciones de los miembros
traducido del francés. p.^{ta} D.^{to} Josef de la
Vega. Librero de familia en Madrid
año de 1773.
-

5. Memoria del origen, cosas notables
santuarios, y imagenes, q ay en t^{do}do.
y fuera de ella. - - - - -

6. Siquidillas con 6. Recetas contra chinches
pulgas, moscas, mosquitos y almorzanas,

7. Nueva Maquina p^a. Elevar el agua
traducida p^a. D. Miguel Suarez. en
Madrid año de 1783.

8. Comedia del Castigo de la Miseria p^a.
D. Juan de I^oz.

9. Semanario Economico compuesto de
las noticias de varias academias y
de las memorias del t^orevo^o. en Madrid
año de 1777. y en los Semanarios q ay
de continer. ay los anuntios siguientes
q se p^aner p^a. mayor inteligencia p^a. abe
cedario.

A
abejas v^atrata^o, p^a. 4-10-19-27-39-
43-51-60-68-79-83-90-
aceite filosofico hecho p^a. mucho mas. 77.

azero y Lero que Tamas Setome - 14.
 ... azero quitale elonín - - - - 22
 agua simpática - - - - - 47.
 almendras amargas p^a labar. la mano - 38.
 anillo maravilloso de aroque para quitar
 muchas enfermedades - - - - - 69.
 aña p^a conicbarla - - - - - 140.

Caballos modo C de engordarlos - 130-131.
 ... modo de curar sus llagas - - - - 131.
 Carnucias y manzanas conicbarlas 118-129.
 cal obicubacion sobre ella - - - - - 119.
 Cañamo modo de preparar su ilaza - - - 143.
 Cera p^a aumentarla - - - - - 76
 ... cera y mitarla - - - - - 47.
 chinches remedio contra ellos - - - 119.
 Cobre p^a lasearlo - - - - - 6-85.
 ... tenerlo siempre limpio - - - - 89

	<u>F</u>	
fruta hacer pasta de ellas	- - -	88.
	<u>G</u>	
Galones de plata, y oro limpiarlos	- - -	127.
	<u>H</u>	
hacer una barra compuesta	- - -	89.
	<u>J</u>	
Jabon modo de hacerlo	- - -	13.
	<u>L</u>	
lino que parezca algodón	- - -	100.
	<u>M</u>	
Madera petrificada	- - -	7.
...madera con incorruptible p. los edifi.	- - -	119.
...cios	- - -	
manchas en telas de seda quitarlas	- - -	63.
...telas de seda y de lana	- - -	93.
metales ablandarlos	- - -	23.
	<u>N</u>	
Naves hacer natafiat de ellas	- - -	111.
	<u>P</u>	
Pan darle mejor gusto	- - -	142.
palomas modo de formarlas	- - -	138.
papel con grasa escribir sobre el	- - -	93.

papel gaireado modo de hazerlo	---	21.
pebo aguar ^a que crezca	---	7.
pedra y man artificial modo de haz	---	79.
plata limpiarla	---	21.
<u>Q</u> Quemaduras su remedio	---	46.
<u>t</u> tinta de escribir modo de hazerlo	---	13.
tinta simpatica	---	46.
trigo modo de conservarlo. 1-2-17-25.		
33-41-49-57-65-	---	
tinta en polvos	---	87
<u>U</u> Uino q no se buelva vinagre	---	13.
Uino conservarlo muchos años	---	87.
Uruelas que no queden señales	---	126.
Vomitivo particular modo de hazerlo	---	99.
10. tratado de la Zúeta en latín		
p. ^a D. ⁿ Casimiro Gomez Ortega		
Boticario en esta Corte en Madrid		
año de 1763.		

22 - 1841

RECEIVED
JAN 10 1884
U. S. DEPT. OF AGRICULTURE













